Baumgarten - Crusius - De Librorum Hermeticorum origine atque indole

SACRA PENTECOSTES

A. MDCCCXXVII.

PIE CELEBRANDA

INDICIT

ACADEMIA IENENSIS.

De librorum Hermeticorum origine atque indole

scripsit

LUD. FRID. OTTO BAUMGARTEN-CRUSIUS,

THEOL. D. ET P. P. O.

IENAE,

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

CAROLUS AUGUSTUS

DEI GRATIA

MAGNUS DUX SAXONIAE,

VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCEPS, LANDGRAVIUS THURINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCIPALI DIGNITATE COMES HENNEBERGAE, DYNASTES BLANKENHAINII, NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMUS,

S. D.

CIVIBUS,

GRAVITERQUE EOSDEM HORTATUR,
FESTOS DIES
UT
PII AGANT BONIQUE,
FACTOQUE IPSIS OTIO
SIC FRUANTUR,
RECTUM ANIMUM MENTEMQUE COMPOSITAM
UT DEO BONISQUE PROBENT.

Sunt quidam libri, e christiana, ut plurimis visum est, antiquitate ad nostram aetatem delati, quos *Hermetis Trismegisti* nomine. olim insignivere et mirabili et dubio. Quorum singuli fere aliqui, singularum praecipue quarundam partium homines, soli usum fecere; quemadmodum de ipso etiam nomine Hermeticarum rerum factum est. [1]) Sed merentur isti eorum studia, qui de prisco statu rerum christianarum quaerunt, censemusque, posse ex his aliquas suspiciones moveri de rebus quibusdam priscis, non spernendas, si qui iis insistere voluerint: denique fuere nuper, qui, ut est nostra haec aetas veterum rerum quarumvis curiosa, memoriam etiam illorum monumentorum frequenter repeterent. De his igitur libris exponere constituimus, qualem nobis opinionem informaverimus: contrahere tamen et hic iubemur disputationem, quae amplissima nobis proponitur.

At illud vix commemorandum adhuc opinamur, quod de Hermetis persona maiores nostri, operosius quam sanius, disputaverint. [2]) Nempe, quis ille fuerit; ut in veteris etiam testamenti codice illum, utpote vatem, quaesiverunt: aut, num plures uno exstiterint; et miratur etiamnum simplicitas ingenium hominis, cuius tot et exstiterint olim scripta, et circumferantur lateantve etiamnum. Nempe fuerat illud Hermetis nomen (Thot Aegyptiaci) [3]) de eo usurpatum, sive Deum, sive sacerdotum collegium [4]) habueris, a quo ar-

1) Sic non inutili libro mysticam theologiam descripsit E. D. *Colbergius: platonisch-hermetisches Christenthum* — 1710 II.

2) Conf. e reliquis *Fabric.* Bibl. Gr. I. 46. ff. Hal. *Brucker.* Hist. ph. I. 252. ff. *Jablonski* Panth. Aeg., prolgg. p. 96. ff. et lib V. c. 5.

3) Uti in Philebo Phaedroque Platonis monstratur. In Hermeticis scriptis Τάαυτος, quibusve nomen formis reddatur, pro magistro etiam Hermetis habetur.

4) Sic Iamblicho iam dicitur commune fuisse Aegyptiorum sacerdotibus omnibus Ἑρμοῦ nomen (θεὸς ἅπασι τοῖς ἱερεῦσι κοινός, myst. 1.) — Ille sine dubio mentis imaginem esse censuit. Novis istud argumentis *Hugius* nuper effecit novoque sensu, libro de mytho veterum.

tium et ſcientiae originem repeterent Aegyptii; ut Hermetica dicerentur, quibus genuinae illae redderentur. Τρισμέγιστον autem (nempe ab Hermete *Deo* diſtinctum [5])) dixere, qui ſcriptis conſignaverit, quae fama olim ſ. ἱερὸς λόγος, aut exhibuiſſent columnae Hermeticae: δεύτερος Ἑρμῆς apud Syncellum dicitur. Platonicorum ſeriorum iſtud elogium fuit Trismegiſti [6]): quemadmodum in univerſa librorum iſtorum cauſa ſcholae Platonicae ſtudia obtinuere. In hac enim primum et ſola fere commemorantur. Ergo quoniam ſacram Aegyptiorum doctrinam reddere credebantur; *Hermetis Trismegiſti* libri quidam dicebantur, et Platonicis quidem ſerioribus. Similis Hori Apollinis cauſa exſtitit.

Exſtiterant etiam Zoroaſtrica quaedam ſcripta in ſcholis iſtis; praecipue autem oracula (λόγια) quae ad Zoroaſtrem referrentur, primum a Patritio e Platonicorum libris collecta atque diſpoſita. Quod ne continuo ad idem falſariorum genus referamus, quorum Hermetica ſcripta exſtitiſſent: quemadmodum Orphica vulgo, Pythagorica, Zoroaſtrica atque Hermetica, ab hiſtoricis confunduntur. Etenim, ſi non Aegyptiacae atque magicae ſapientiae diſcrimina iſti fecerint; certe Zoroaſtricam ſibi propriam aliqui habuerant. Gnoſticorum ea fuerat, uti Pophyrio in Plotini vita iam notatum eſt: eorum, quos peculiari libro (Enn. II. 9.) hic impugnavit. Iam ſcimus quidem, ſerioribus etiam *Platonicis*, qui interioris ſibi ſcholae viderentur, Iamblicho [7]) potiſſimum et Syriano, uſurpata et explicata fuiſſe iſta λόγια, verum novum iſtud exſtitiſſe videtur conciliandi periculum: tale tamen, quo antiquae ſententiae paulo inflecterentur. Nimirum, ut paucis rem deſcribamus, qualem conceperimus (ſed explicuimus eandem iam olim [8]): Zoroaſtrica ſententia eorum fuit, qui *emanatismum* tenerent, longe hunc alienum a Platonismo. At qui conciliare vellent, ſic ſibi rem informavere, continua quadam ſerie ex ſe ipſis prodire ſpirituales naturas, quarum poſtremae inferiorem mundum exſiſtere ſinerent: quae a Dionyſii Areopagitae opinione non prorſus aliena, ſic tantum differunt, quod (quemadmodum fieri debebat ab homine chriſtiano) materialem

---

5) Forſitan illum etiam eccleſiaſticae formulae de τρισαγίῳ oppoſitum.

6) In eccleſia chriſtiana *Tertulliano* (Valent. 15) et *Lactantio* (nobili loco Inſt. 1, 6) primis ſic dicitur: tum Gregorio Nazianzeno.

7) Cf. Damascium de principiis p. 115. ed. Kopp. (Frcf. 826).

8) Commentatione de Dionyſio Areopagita; repetita in Comm. theol. ed. a Roſenmüllero, Fuldnero et Maurero, To. I. P. 2. Et de iſto diſcrimine 278. ſſ.

mundum extra iſtas naturas ſpirituales poſitum, effectumque ab ipſo Deo, opinaretur. Talia autem omnino non exſtant in Hermeticis ſcriptis [9]).

Ergo quae mirabilibus nominibus Platonici quidam e Zoroaſtris oraculis deſcriberent tanquam poſita poſt divinam triada, primum ſyſtemata ſpiritualium naturarum deſcribunt, deinde has ipſas. Sed ipſam illam triada aliter reddunt ac Platonicis olim concepta fuiſſet, propiusque ad Procli ſententiam: nam pro mente et anima *δύναμιν* et *νοῦν* dicunt, agendi facultatem et actionem mentis ipſam. Sequuntur iam *νοητά*, deinde *νοερά*, ſingula (qui noſtratium etiam philoſophorum luſus exſtiterunt) per triades alias diſtincta; ſic, ut cunctis his reddantur, quae magis ſemper ad mundanum negotium deflectantur. At ſi qua ſint inter talia philoſophicarum ſcholarum monumenta, quae orientalium religionum decreta repetant; in iſtis id oraculis obtinet, ut in *ἴϋγγων*, [10]) *Ἑκάτης*, *ἀμειλίκτων* vocabulis. Verum non id noſtri eſt negotii. Poſtremo in corporeo etiam mundo gradus iſti oſtenduntur, nam per *νοῦν*, *ψυχήν* et *φύσιν* cuncta iſtic deſcribuntur. At Chriſtianarum notionum, quas auctores vel tenuerint vel adhibuerint, nihil in carminibus illis ineſſe, cenſemus: niſi forte illud, quod de mundi origine apud Pſellum legitur (p. 8. a. Patr.)

ἑαυτὸν ὁ πατὴρ ἥρπασε —

opinati fuerimus, e corruptela exſtitiſſe loci Phil. 2, 6. Sed et hoc magis e ſymbolis orientalium religionum ducendum eſt, quibus etiam Manichaeorum placita de direpto Deo uſa ſunt. Neque, cum orcum carmina deſcribunt (p. 10. a.) *εἰδωλοχαρὴς*, *ἀνόητος*, niſi ethnici quid, ineſt. Illud enim umbrarum (non idolorum) ſedem denotat: hoc ſtupidum, quoniam mortuis habitetur [11]).

Sed, ut ad ſummam cauſam revertamur, *Hermeticorum* librorum *auctores* etiam habendos eſſe Platonicos, alterius ſcilicet, et caſtioris quidem, ſcholae: certum hodie habetur omnibus. Diſcrimen opinandi in eo fere ſolo ſubſtitit, quod etiamnum quibusdam antiquae Aegyptiorum doctrinae in libris iſtis deprehendatur aut expoſitio aut veſtigium, negetur aliis. Et novimus, de his

---

9) Ad gnoſticos igitur cave ne cum Iablonskio aliisque, *Tiedemanno* etiam, referas, aut omnia aut aliqua.

10) Deducentium nempe in mundum ſpiritualia (*ἀφανὲς εἰς φανερόν*). Similis vocis uſus Ioſeph. B. I. 2, 8, 11.

11) *Ζήτησον παράδεισον* p. 10 b. vix originarium arbitramur: neque, ubi denuo illud exſtat, p. 11. a. duos verſus, contexto etiam ſermoni non accommodatos: *Μέλλων εὐσεβίης ἱερὸν παράδεισον ἀνοίγειν, Ἔνϑ' ἀρετή, σοφία τε καὶ εὐνομία συνάγονται.*

etiam monumentis nuper quaesitum fuisse et disceptatum ea lite, quae Vossio cum Creuzero intercessit; et primus nuper Goerresius [12]) librorum argumento denuo patrocinatus est. Quae autem sacerdotum Aegyptiacorum doctrinae fuerint, aut quales esse etiam potuerint, et utrum tales, quas Platonici descripserint: quaerere nunc non iuvat. In *Hermeticis libris*, certum est, nonnisi Platonismum illum recentiorem repeti, et Aegyptiacarum rerum praeter Deorum nomina nihil deprehendi: aut non priscae et genuinae illius religionis, sed, qualis haberet labentibus iam sacris publicis. Delectabantur Platonici religione Aegyptiaca eiusque specie atque elogio, nempe, quam ipse Plato hausisse crederetur: quemadmodum nostratibus etiam quibusdam placuit. Ἑρμαϊκή inde σειρά appellabatur series doctorum in recentiore ista Platonicorum schola [13]). Sed Platonismi etiam *peculiaris* ratio exstat in Hermeticis libris, ea nempe, quae multo magis nobis persuadeat, artem hanc tantum seriorum scholarum fuisse, non famam maiorum aut sacerdotum sapientiam.

Nimirum, ut aliqua praefari liceat iis, quae ad singulos libros praecipuos spectent: omnibus iam dudum concessum fuit, respici in quibusdam librorum istorum locis ad scripturae effata et christiana dogmata: et ab I. H. Ursino, minime inepto horum librorum aestimatore, id iam luculenter demonstratum est. [14]) Sed effectum inde est triplex opinionum genus. Aut enim ad christianos homines scripta retulerunt, ut ab ipso Huetio factum, aut ad eos, qui rudimenta tantum disciplinae christanae posuerint, non prorsus edocti (semichristianos vulgo appellavere), quae laudatissimorum virorum sententia fuit: [15]) aut opinati sunt, interpolatos esse libros istos a falsariis christianis. Ea summi quoque Conringii sententia fuit, in libro de Hermetica medicina exposita. Singulis autem istis opinionibus aliqua obstant, quae summatim recensebimus.

Nam christianum hominem in minutis quidem aliquibus librorum istorum fragmentis licet suspicari; Iudaeum etiam nos quidem in uno aliquo depre-

12) *Asiat. Mythengeschichte. Vorr.* I. S. XIX ff. Olim etiam *Cudworth*. Syst. intell. 373. ff. ed. Mosh. Ien.

13) Intpp. Marini V. Procli, p. 121. ed. Boisson., Wyttenbach. ad Eunap. II. p. 38. Boiss.

14) Libro: de Zoroastre, Hermete Trismegisto et Sanchuniathone. Norimb. 631. (In summa causa Bruckerus huic aliqua, non accommodate, opposuit.)

15) Etiam *Casauboni*, Exercc. Antibar. I. n. 10.

hendimus: in ſumma re, et in praecipuis libris non tales comparent. Neque id propter eos ſolos locos, qui ad Deorum cultum reſpiciunt; ſed propter discrimen potiſſimum, quod Platonicis ethnicis cum chriſtianis intercedit, et ipſum alibi nobis demonſtratum.[16]) Ineſt iſtud in locis de Deo et de coniunctione cum ipſo ineunda: quae chriſtianis modeſtius magis deſcribebantur, quam eiusdem ſcholae ethnicis; ut illis et remotior ab humana intelligentia Deus conciperetur, et coniunctio minus ab ipſo homine ineunda, ſed, in quam ſe deduci potius coelitus pateretur. Ut apud Dionyſium Areopagitam res planiſſime expoſita eſt.[17]) Deinde qui *ex parte* chriſtiani exſtiterint ſeculis maxime iis, quibus iam ad interitum verteret res gentilium; ſcite ab Moshemio, magno olim literarum theologicarum et raro praeſidio, monſtrati ſunt, libro de turbata per Platonicos eccleſia. Sed ſunt in his etiam diſcernendi, qui neutri parti faverent (ut hypſiſtarii, nuperrime etiam maxime controverſi), deinde, qui de omnibus iſtis opinionibus aut religionibus ſua facerent aliqua: denique, qui gentilem cauſam, quam tenerent, in iſta tempeſtate diſſimularent. Nihil tamen nos iuverit, qui tales quosdam crediderit Hermeticorum librorum auctores. Horum enim ſumma certe aut una etiam cauſa agitur in rebus ethnicorum explicandis, et vero defendendis. Aliqua etiam iſtic nonnullis, ut ipſi Caſaubono, chriſtiana credita ſunt, quae Platonica potius habenda eſſent. Poſtremo, quoniam, qui inter illos libros eminent, certo conſilio conſcripti ſunt, eodemque plane comprehenduntur, neque de corruptela opinamur cogitandum eſſe, ea quidem, quae momentum faciat: in quo criſeos genere omnino ſcimus temere plurimum et ſic verſari doctos homines, ut, ubi incipiendum ſit, quibusve finibus corruptelae contineantur, vix apud ſe conſtitutum habeant.

Verum neglecta adhuc plerumque opinamur ea gentilium Platonicorum ſtudia, quorum in his libris veſtigia compareant. Coeperant nempe, cum accuratius cognoviſſent et librorum ſacrorum argumentum et doctrinam chriſtianam, his in ſuam ipſorum cauſam abuti. Scilicet, vel ſic, ut iis ſe partibus,

---

16) L. c. 282 ſſ.

17) His plane oppoſita ſunt Poem. IV. 10. a.: Rerum divinarum adſpectum dicit non μύειν ποιεῖν τοὺς ὀφθαλμούς, ſed ἐκλάμπειν, et augere viſum. Verum deſinere tum eloquendi facultatem, et incipere σιωπὴν illam ſacram et αἰσθήσεων καταργίαν, quam ſicut Alexandrini deſcribit.

quas ſentirent ad rerum imperium tendere, tuerentur atque augerent; [18]) vel ſic, ut viderentur iſta, quae accommodarent, non originaria apud chriſtianos, ſed ſurrepta aliunde, et e ſuis quidem ipſorum fontibus. Et potuit hoc praeſertim ſic obtinere, ut in *priſcis* iam *fontibus* oſtenderent comparere, quae ſua dicerent chriſtiani. Ergo ut recte dicant, qui patrum chriſtianorum deſcribant aliquem Platonismum: at chriſtianismus etiam exſtitit Platonicorum. [19])

In qua cauſa neſcimus an *Porphyrio* eiusque ſcholae plurimum adſcribendum ſit, ut hinc etiam univerſum de talibus libris locisque, eorumque aetate, iudicium inſtruendum ſit. Cognoverat is rem chriſtianam ipſo ſuo uſu; novimusque, unum illum de ſcholae iſtius alumnis ſacros chriſtianorum libros ipſos et ſeverius adortum eſſe. Deinde, qui in *Hermeticis libris* nobiscum cenſeat factum eſſe, quemadmodum fieri inter illos ſolitum diximus; poterit ſimillimo quodam negotio ſe tueri, e Porphyrii ſchola famoſo, *Sanchuniathonis* nempe cosmogonia (Euſeb. Praep. Ev. I, 6. 7.) Et famam etiam hanc vetuſtam fuiſſe, comperimus, eandem exſtitiſſe originem et Hermeticae ſapientiae et Sanchuniathonicae; [20]) ex Aegypto nempe et hanc deveniſſe: nimirum, quoniam eiusdem iſta cuncta fuiſſent, ſive artis ſive fabricae.

Etenim, ut ea illinc referamus ſola (eſt enim ampliſſimus locus), quae ad illuſtrandam noſtram cauſam faciant: neque Sanchuniathonis ipſius perſonam iſtic moramur, neque quis qualisve Philo ille Byblius cenſendus ſit, quaeremus. [21]) Cosmogoniam autem illius iſtam inter Platonicos exſtitiſſe, quae plerorumque ſententia fuit; novo etiam argumento firmari poſſe videtur. Scilicet quam illi rerum originem divinam deſcribere ſolerent, quod in ſe ipſum converſus Deus ſui ideam conceperit, et in ſe ipſam deinde converſa mens di-

18) De Gnoſticis, qui, ſicut Manichaei, eodem conſilio chriſtiana ſua feciſſent (vere enim utraque [gentilium exſtitit familia) *Irenaeus* ſimiliter, 3, 19: „Similia loquentes fidelibus, non modo diſſimilia ſapiunt, ſed etiam contraria rell.“ — Minus deliberato conſilio id ipſum in conficiendis Corani libris exſtitit.

19) His non diſſimilia etiam Tennemannus reddidit, Hiſt. Ph. VI. 464 ſſ.

20) Dicitur Sanchuniathon *Suidae* ſcripſiſſe περὶ τῆς Ἑρμοῦ Φυσιολογίας, eodem forſitan loco, e quo cosmogoniam reddidit Euſebius, Phoenicum hiſtoriae. Sed Philoni etiam Byblio huius interpreti (Euſ. l. c.) cenſebatur Sanch. ſua duxiſſe ab Hermete, ſive ex ἀποκρύφοις Ἀμμουνέων γράμμασι. Cf. Moshem. l. c. Cap. 44.

21) Optime de his nuper meritus eſt Io. Conr. *Orellius*, libello: Sanchoniathonis fragmenta de cosmogonia et theologia Phoenicum — Lipſ. 826.

vina, in rem exſtantem prodierit; ad *elementa* rerum iſtud atque *materiam* refert perſonatus ille Sanchuniathon, quaſi in ſemet ipſa illa redierint, atque converſa in ſe, rerum iſtas formas confecerint. [22]) Aut, quoniam vere is materialismus quorundam in ea ſchola exſtitiſſet; aut, quoniam (quae erat hominum opinio) minus ſublimis ſententiae locus videretur, dum impugnandi eſſent cum Iudaeis chriſtiani. Sed ad Moſaicam cosmogoniam iſtic et in rebus et in formulis ubivis reſpici, deinde ad reliquam etiam Geneſeos hiſtoriam, [23]) certiſſimum omnibus habetur; et odorati ſunt fraudem antiquiores etiam eccleſiae doctores, neque de his iſtic nobis amplius agendum eſt.

Ergo, quod in iſto exſtitiſſet, cenſemus in *Hermeticis* etiam ſcriptis obtinuiſſe. Ablegat nos ad Porphyrii ſcholam (aetatem quis certius definierit, niſi in numeris ludere velit? [24]) valde enim ſibi ſchola illa convenit) ipſa etiam librorum doctrina Platonica. Ea enim ad *Iamblichum* maxime accedit. Ad Athenienſem autem ſcholam ſi quis referre velit, in qua Cyrillus Alex. etiam Ἑρμαϊκά collecta tradit: non reluctabimur. Sed de ſingulis libris aliqua hic delibabimus. Eos autem libros commode omiſerimus, qui ad Hermeticas *artes* attineant, Trismegiſti nomine et ipſos inſignitos: ad alchemiam et aſtrologiam, quales Galenus iam commemoravit. Hos neque ex eadem, neque e Platonica fere ſchola exſtitiſſe, credibile eſt; [25]) neque inter Graecos modo, ſed ubivis, etiam inter orientales, [26]) Hermetica ſcripta talia inclaruere. Eſt ex eo genere etiam is, quem περὶ βοτανῶν χυλώσεως ex parte nuper edidit Guil. Roether. [27])

Sed philoſophicos primus Marſilius Ficinus, e codicibus atque Platoni-

---

22) Ἠράσθη, ait, τὸ πνεῦμα (ἀὴρ ζοφώδης καὶ πνευματώδης) τῶν ἰδίων ἀρχῶν, καὶ ἐγένετο σύγκρασις etc.

23) Ad Ezechielis etiam imagines in deſcriptione Saturni typica.

24) Fallitur hic Conringius quoque, cum de formula: ὁμοούσιος τῷ νῷ ὁ λόγος — obſervat, ὁμοούσιον per Nicaenos demum introductum. Nimirum perantiquus ille atque notiſſimus vocis uſus fuit.

25) Licet Hermetici etiam libri ubique de vi expoſuerint, quam in corpora exſerant coelum et ſidera. „Coelum, Asclepius ait, ſenſibilis eſt Deus, adminiſtrator omnium corporum."

26) Cf. praeter alios *Beausobre* Hiſt. d. Man. I., 326. ſſ. Nam apud Auguſtinum (13, 1.) Fauſtus etiam Manichaeus Hermetem vatem laudat. (L. Iudaicus Cosri, p. 5 Buxt.)

27). Cum Laur. Lydo de menſibus. L. et Darmſt. 827. P. 313 ſſ. Velimus de libro auctoreque ab editore disputatum curatius, praeſertim, ut ille ad Κυρανίδων opus Hermeticum habeat.

corum patrumque ecclesiae scriptis eruit, post hunc alii,[28]) praecipue autem Franciscus Patritius, qui *novae* suae *de universo philosophiae* illos adiunxit. Ex eo tum plerique omnes, qui libros istos ediderunt atque interpretati sunt; in constituendis emendandisque post Patritium, ingenio magis quam externis praesidiis usi, etiam Heerenius ad Stobaei eclogas, quas plurimum librorum istorum reddere, notissimum est. Nostra aetate Dit. Tiedemannus de Poemandro bene merebatur;[29]) cuius tamen librum evanuisse fere in literaria civitate, vehementer dolemus. Omnino optandum est, ut existat, qui paratas ad philosophicos istos libros copias colligat atque recenseat. Sed, quod supra iam significavimus, uti in Sibyllinis oraculis a Neandro Bleekioque notatum est, in istis quoque libris (etiam cum coniuncti editi sunt) aliqui sunt peculiaris indolis; neque nisi de *universo* librorum negotio illud tuebimur, quod principio exposuimus. Librorum autem, quales adhuc innotuere: certum enim est, eius generis nominisque ingentem adhuc numerum ubivis latere. Sic quorum nomina atque argumenta a Plutarcho et ab ecclesiae patribus[30]) laudantur, plurima eorum pars non inter Hermetica nostra scripta exstat.

Antiquissimus autem inter Hermeticos dialogus exstat, *Asclepius* dictus: cuius versionem confecit Apuleius Afer, eandem, quam Augustinus cognovisse videtur, et etiamnum nos usurpamus; Graeca enim interiere. Τέλειον λόγον Lactantius dixit. Illum magis quam in Poemandro factum, e vulgari Platonicorum formula compositum censemus. Mundum, ait, secundum ideam divinam conditum per animam; cuius continua etiam efficientia obtineat resque et animet et gubernet. Aristotelicam modo adiungit *quintam partem* (quintam essentiam, theosophis adeo celebratam) soli homini concessam, aetheream nempe naturam, qua mentes alantur: quem sensum etiam dicit. Gnosticae sententiae, Zoroastricae igitur, Asclepius clare adversatur, et integra, quam profitetur, doctrina, et singulis effatis: praesertim, quo bonum mundum diserte professus est, cuius vim etiam continuam (nempe per sidera) dicit in corpora, uti spiritus in animas.

Christianae autem disciplinae Asclepius se certissime opposuit. Nam poly-

---

28) Etiam, inutili commentario theologico auctos, Franc. *Flussas Candalla:* Divinus Pymander Hermetis Merc. Trismegisti. Col. 630. VI. Sed theologis liber non negligendus.

29) *Hermes Trismegists Poemander* — *Berl.* 781.

30) Praecipue Clem. Alex. Strom. 4, 4.

theismum ſuo i. e. Platonico modo defendit; qui νοεροὺς θεοὺς pro ideis (ſpecies rerum dicit), αἰσθητούς pro rerum natura habeat; ab his autem Deorum imagines discernat, ab hominibus confectas, quibus daemones ab iisdem concludantur, adiutores hominum: (p. 6 a.: „evocantes animas daemonum, imaginibus indiderunt.“) [31]) Tum illi obloquitur etiam iis, quae de aeternitate exponit. Eam non moveri, ſed cum Deo ſtabilem eſſe; inde autem moveri rerum univerſitatem. Mundum dicit vivacitatem aeternitatis. Nimirum quoniam e philoſophorum uſu intelligit formulas chriſtianas αἰῶνος et αἰωνίου. Praeſertim autem nobili vaticinio, quo de excidio patriae religionis inter Aegyptios expoſuit (P. 4, a. [32]) admodum ſimili iis, quae apud Eunapium in Aedeſio de ea re leguntur. Syros ait et Indos ſacra loca occupaturos eſſe. [33])

Mireris, quid *Indos* dixerit; niſi pro remotiſſimis quibusvis nominatos opineris, non praeter antiquam loquendi conſuetudinem. Sed duplex alia patet ſententia: una, Gymnoſophiſtis comparari chriſtianorum ascetas, altera, quae naturae res ſpernere et excedere viſa fuerint, et doctrina et actionibus, Indica tum iam appellata fuiſſe. „Contemnetur, ſequentibus ait, — totus hic mundus, Dei opus immutabile — tenebrae praeponentur lumini, et mors vita melior iudicabitur. Anima et omnia circa eam putabitur vanitas.“ [34]) Contra hanc igitur ipſorum librorum ſententiam ii nuper fecere, quibus Indica in Hermeticis libris decreta ineſſe crederentur; licet nuper demum illa verius cognita, lubentes conceſſerimus. [35]) Etenim ſi univerſa quaedam, orientalium ſententiis pervulgata, exceperis, et ambiguas quasdam imagines, neque eas tamen Indorum proprias, ut cum Dei ideae imaginibus e ſpeculo comparantur (ὅρων I e.): nulla iſta in Hermeticis ſcriptis ſunt; et plane ab his aliena, quae ſummam Indorum doctrinam conficiunt, nihil veri eſſe in rerum natura, praeter ſpiritualem vim, et eſſe hanc ſola contemplatione contingendam. Tale

31) Alia Iamblichi (myſt. Aeg. 2, 11. Phot. 215) Proclique *theurgia* exſtitit, conciliatio nempe Deorum, imaginibus expreſſorum.

32) Sequimur in laudandis locis Hermeticis, editionem Fr. Patritii, Ven. 1593.

33) „Inhabitabit Aegyptum Syrus aut Indus, aut aliquis talis. Divinitas enim repetet coelum etc.“

34) Ut inter Sinenſes nuper memorabili lege, adverſus chriſtianos lata (a 1805. cf. Staeudl. et Tzſchirner. Archiv f. d. K. G. I, 1.) propoſitum fuit, Indorum hanc eſſe religionem, quam illi profitentur.

35) *Carové d. alleinſeligm. Kirche.* 509. Scilicet Goerresii ea iam ſententia fuerat, l. c. II. 419 ff.

etiam argumentum exſtat eius monumenti, ad quod illi potiſſimum reſpexere, *Bhagavad-Gîta* dicti. [36]) Sed redeundum ad ipſam rem.

Cum chriſtianam iſtic religionem Aſclepius deſcribit, quam ea Diis inimica exſtiterit; uſitatiſſima Platonicis repetit, quae ante iam commemoravimus, res atque vitam pro vaniſſimis iſtic haberi; ſed nova cuncta per hanc inſtitui in civitate atque in religione. Sed ſunt tamen etiam in Aſclepio aliqua veſtigia adhibitorum librorum ſacrorum placitorumque chriſtianorum, et ſic quidem, ut in praecipuas ſcholarum iſtarum opiniones detorquerentur ii quoque loci, quorum magna vis crederetur inter chriſtianos. Sic p. I. a. „unum omnia, ait, quia in creatore fuerunt omnia, antequam creaſſet omnia; cuius membra ſunt omnia." — Nempe, ut membrorum imaginem, veteribus in iſta cauſa, niſi fallimur, plane inſolentem, opinemur e locis I Cor. 10, 17., Eph. 4, 16. al. coll. Act. 17, 28. deſumtam; certe prius illud e verbis Io. 1, 3. 4. ſicut olim ſcripta ſunt, ductum eſt: ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. — P. I. b.: „a ſupradictis omnibus *frequentatio* fertur, influens per mundum" etc. Ebraica ea vox eſt frequentationis; forſitan ducta haec omnia e Sap. 3, 13., ubi, alio quidem ſenſu, ἐπισκοπὴ ψυχῶν commemoratur: (etiam 9. ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ὁσίοις, e lect. cod. Alex.) — P. 3. b. „Omnia, ait, utriusque eſſe ſexus. — Eius connexio, aut quod eſt verius, veritas incomprehenſibilis eſt." — Redit illud Poemand. I. 4. b. πᾶν τὸ ὂν δισσόν. E Sirac. 42, 24. πάντα δισσὰ ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός, quae et ipſa, cum ſequentibus: ἓν τοῦ ἑνὸς ἐστερέωσε τὰ ἀγαθά — formam Alexandrinae philoſophorum ſententiae referunt. Sed de veritate incomprehenſibili quod dicitur, nonne ad Eph. 5, 32., locum, et ipſum fere de ſexuum connubio intellectum, manifeſto reſpexit? — Plura etiam in extremo libello leguntur, quae ad ſacras res et chriſtianas reſpicere videantur. Etenim, ſi *ſalvatos numine* divino omiſeris (quae communis formula haberi queat) duo ſunt loci, qui Ioanneum evangelium reddant: 5 a.: „Deus pater omnium, qui ſolus eſt omnia, *omnibus ſe libenter oſtendit*" — et 6, b.: „*Vitae vera via*, natorum omnium foecunda generatio"; — uterque Io. 14, 6 — 9.

Libri aliquot ὅρων, adiuncti fere Aſclepio, fragmenta exhibent eiusdem forſitan auctoris omnia. [37]) Quorum III. verba habet: ἀένναος, ἀπὸ τῆς ἐκεῖσε ἐνεργείας

36) Reddidit nuper inter noſtrates *A. G. Schlegel* (1823. Cf. p. 134 ff. 149 ſ.): de doctrina eiusdem Illuſtriſſimus *G. Humboldt* expoſuit peculiari libro.

37) Lib II. e. cum dicit, colenda eſſe ἀγάλματα, ὡς καὶ αὐτὰ ἰδέας ἔχοντα ἀπὸ

εἰς τόνδε τὸν κόσμον παρέχει τὴν ἀπαγγελίαν εἰς διασωστικὴν εὐφημίαν. Vix multum errabit, qui iſta opinetur reddere Ebr. 1, 3. (locum alibi etiam his auctoribus ſignificatum): *φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ·* ſic ut Hermetis iſta ad Platonicam *λόγου* notionem, eamque propriam, reſpexerint.

Poemandri autem nomine apud Patritium XX. libri editi ſunt, ab ipſo iam pro diverſorum auctorum libellis habiti. Ficinus eidem tribuerat XIV libros, quos edidit. Eiusdem tamen et iſti ſcholae exſtitere, et in doctrina conſentiunt, praeter duos forſan, quos ſignificabimus. At *Poemandri* nomen libris II. et VII. exhibetur: *τῆς αὐθεντίας νοῦς* dicitur, qui Dei *λόγον* contineat, atque Hermetem edoceat. Hermes nempe ipſe, *λόγος* ille habendus eſt: divina igitur Mens Poemandri nomine dicitur, cuius efficientiam Logos reddat, ipſa ſcilicet naturarum intelligentium ratio. Sunt vero in L. II. initio, ubi Poemander comparet, ut in ipſo Poemandri nomine, affinia aliqua eccleſiaſtico libello non ignobili, *Hermae Paſtori.* [38]) Quod ne quis contra hunc dictum opinetur, quemadmodum Chriſtoph. Sandius finxiſſe ſibi rem videtur (Nucl. H. E. p. 56); in contrariam etiam partem diximus. Pro ſacro libro et illum habuiſſe videtur iſta ſchola, ut eius etiam praeſidio ſe munire inſtituerit.

Libro I. (*περὶ εὐσεβείας καὶ φιλοσοφίας*) Platonicis magis, quisquis fuerit, auctor formulis uſus eſt, quam iis, quales e ſacris chriſtianis deſumtas ſignificavimus. [39]) Niſi forte p. 4 b. *σεμνὴν καὶ λεῖαν ὁδὸν πρὸς ἀλήθειαν*, niſi corporis vis et difficultas impediverit, ad Matth. 7, 13. ſ. reſpexiſſe velis, ſcilicet contradicturum potius evangelii loco: ibidemque, ubi de relinquendo corpore, etiam ante mortem, locutus eſt, ad I Tim. 6, 12. 2, 4, 7: *νικῆσαι τὸν ἐναγώνιον βίον, καὶ νικήσαντα οὕτως ἀνελθεῖν.* Sed ſunt haec ipſa talia, de quibus dudum monitum eſt ab hiſtoricis: Platonismum et ipſa Platonis ſcripta, ut de republica poſtrema, in iis convenire chriſtianae diſciplinae.

Cosmogoniae autem Moſaicae creberrima exſtant in his libris veſtigia, ut

---

τοῦ αἰσθητοῦ κόσμου — legendum *νοητοῦ.* Nam dicuntur etiam Deorum imagines, quas homines conficiant, ſuperioris rerum ordinis aliquam ſpeciem, formam, exprimere.

38) Remotius hinc arbitramur, quod auream aetatem Platonis Politicus ſic quoque deſcripſerit, paſtorem fuiſſe hominum Deum: quo Urſinus reſpexit, l. c. 148.

39) Perquam egregiam liber ſententiam praefatur: Ὁ εὐσεβῶν ἄκρως φιλοσοφεῖ. Χωρὶς γὰρ φιλοσοφίας ἄκρως εὐσεβῆσαι ἀδύνατον.

in hoc argumento deligendo sibi potissimum placuisse videantur Platonici. Ut libro II. p. 5. b. νοῦς dicitur, fuisse πρὸ φύσεως ὑγρᾶς, τῆς ἐκ σκότους φανείσης. (Tenebrae Mosaicae ad Chaos referuntur in reliquis etiam horum librorum locis, qui cosmogoniam illam persequuntur.) Omnia autem, quae tum iam, sed confusa et contecta exstiterint, commota fuisse διὰ τὸν ἐπιφερόμενον πνευματικὸν λόγον (nam λόγος et hic mentis efficientia appellatur). Verbis etiam ἐπιφερόμενον illud πνεῦμα reddit Gen. 1, 2. Eodem libro p. 6. a.: ἀὴρ πετεινὰ — διακεχώρισται — ἡ γῆ ἐξήνεγκε — Deus hominem condidit αὐτῷ ὅμοιον — rell., planissime Geneseos locos exprimunt. — Lib. III, p. 8. b. ἦν σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ, καὶ ὕδωρ καὶ πνεῦμα — δυνάμει ὄντα ἐν χάει, et quae istic reliqua exstent. Novimus, communem fuisse istam ecclesiae etiam patrum allegoriam, aquae et spiritus, e Mosaica historia ductam: sed memorandum est, ethnicismo vero accommodatum, chaos nostro describi communem utriusque illius originem. — Talia libro XIII. etiam uberrime describuntur; sic, ut e Timaeo quoque singulae quaedam imagines adiungantur. Verbo divino condita omnia —: εἶπε καὶ ἦν — διέκρινε rell. — Denique libro XX., qualem Patritius confecit, extremo, quo exegesin etiam Mosaicae descriptionis exhibuit.

Sed accedemus ad singula alia rerum christianarum vestigia, per libros istos sparsa. Ἅγιος θεός, repetitum II. e., Ursino etiam huc recte referebatur: Tiedemanno ipsum illud, αὐθεντία, pro αὐθέντης. Formulam autem imaginis divinae, quam e Genesi sumtam modo descripsimus, uberius subinde sed varie, auctor illustravit. Reddi, ait, hominis natura Deum eo potissimum, quod in ipso vita sit atque lumen (ζωὴ καὶ φῶς), [40]) deinde, quod ipsius naturam cuncta exprimant, omniumque potestas (πᾶσα ἐξουσία) ipsi data sit. In his autem postremis aliqua insunt, ex iis forsitan N. T. locis ducta, quae ipsum Christum eiusque potestatem describant. Fuit ea Gnosticorum quoque ratio, quorum aliqui (Valentiniani potissimum) homines Christi loco habuerunt, ita ut σωτηρίαν mundi efficere illi dicerentur. [41]) Gnosticorum etiam illud exstitit, quod apud nostrum legitur, esse homines convertendos in δυνάμεις p. 7 b. (Τότε τάξει ἀνέρχονται πρὸς τὸν πατέρα, καὶ αὐτοὶ εἰς δυνάμεις ἑαυτοὺς παραδιδόασι, καὶ δυνά-

---

40) Et hoc sensu isti auctori usitatissima veteribus formula adhibetur: ἀῤῥενόθηλυς θεός. Orphicis Phanes sic dictus est: Valckenar. de Aristob. Iud. p. 80.

41) Talia etiam, cum, hominem divina atque humana natura coniuncta constitui, dicit, Asclep. 2 b., alibi.

μεις γενόμενοι, ἐν θεῷ γίγνονται.) Sed licet inter gnosticos solos nostrates comparuerit; non alienum tamen fuit a Platonicis etiam decretis. Et cum a *λόγῳ* dicit *δημιουργὸν νοῦν* conditum; clare se gnosticis opponit. Postremo possit istud p. 6 a.: *τὸ ἐν σοὶ βλέπον καὶ ἀκούον, λόγος κυρίου* — ad Matth. 6, 23., Luc. 11, 35. Io. 1, 9. referri; nisi Epicharmi sit: *νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει, τὰ δ᾽ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.*

At in librum IV. (*κλεῖδα* dictum) e Ioanneis commentariis aliqua illata videntur. P. 11.. a. *τοῦτο μόνον σωτήριον ἀνθρώπῳ, γνῶσις θεοῦ* — Io. 17, 3. Ibidem: *Οὐκ ἀγνοεῖ θεὸς ἄνθρωπον, ἀλλὰ γνωρίζει καὶ θέλει γνωρίζεσθαι*, ex eodem capite, sic, ut ad homines iterum relata sint, quae de Christo illic legerentur. Et 12 a.: *ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ* de ecstaseos tempore. Ibidem autem oppositum christianis, neminem coelitum in terras descendere: *ὁ δὲ ἄνθρωπος καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβαίνει.* Paulinum illud redit, ante iam nobis significatum: *τῆς εὐσεβείας ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι.* Additur: *ἀγὼν εὐσεβείας, τὸ γνῶναι θεὸν*, practicae forsan christianorum doctrinae oppositum. — Memorabilem reddit opinionem ibidem, cum propria sua mente malos ad peccandum solicitari dicit, atque peccatis adeo puniri. *Κακῶν ὁ νοῦς*, ait, *εἰςδύνων εἰς τὴν ἀσεβῆ ψυχὴν, αἰκίζεται αὐτὴν ταῖς τῶν ἁμαρτημάτων μάστιξι*, in repetita scilicet terrestri vita. Interpretationem hanc opinamur dogmatis de daemonum vexatione: nam qui e Graeca potestate vocabuli *δαίμων* cogitarent, non poterant non de bona mente istud accipere.

Libro V. (*ὅτι ἀφανὴς ὁ θεὸς, φανερώτατος*) p. 12 b. e Io. 3, 11 f. licet perperam intellectis, redditum videtur: *εἰ τὸ ἐν σοὶ ἀφανές ἐστι σοὶ, πῶς αὐτὸς ἐν σεαυτῷ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν σοὶ φανήσεται*; Censet enim in mente genuinam comparere Dei imaginem. *Νόησις*, dixerat, *μόνη ὁρᾷ τὸ ἀφανὲς, ὡς καὶ αὐτὴ ἀφανὴς οὖσα, εἰ δύνασαι, τοῖς τοῦ νοῦ ὀφθαλμοῖς φανήσεται.* — Tum quae p. 13 a. leguntur: *τίς ὁ τοῦτο κεκτημένος*; nempe quis creavit? (Prov. 8, 24. e lectione *ἐκτήσατο*, aut 17, 21. *κεκτημένος*, quod de parente plerique accepere), multoque magis formulae: *γῆν ἕδρασας — θαλάσσῃ ὅρους — ἑαυτοῦ θελήματι* Deum creavisse, aliaeque, ad S. S. aliquos locos respiciunt. — Et licet formula pantheistica, quae p. 13 b. legitur: *σὺ εἶ ὃ ἂν ὦ, σὺ δ᾽ εἶ, ὃ ἂν ποιῶ καὶ λέγω· σὺ γὰρ πάντα εἶ* — plane conveniant gnosticae, Epiphan. 26, 4: eius tamen sensus non alienus est ab his libris. Verum, ut sibi cognata fere fuerunt in philosophorum decretis, quae omnem mentem excedant, et quae a materialismo proxime absint; in his etiam scriptis ea cognatio obtinet. Eo enim subinde progressa est ratio eorum pantheistica, ut

ex aere quo ipſa ſe Dei vis exſerat, animam, ex hac mentem, devenire, cenſeat; mentem autem ſuis ſe his principiis denuo coniungi.

Lib. VI. (ὅτι ἐν μόνῳ θεῷ τὸ ἀγαθόν) p. 14 b. πλήρωμα τοῦ θεοῦ dicit τὸ ἀγαθόν, dum mundus πλήρωμα τῆς κακίας ſit. Duplex ea obtinere videtur ad chriſtianorum uſum συγκατάβασις, et voce πλήρωμα (ex epiſtolis maxime ad Epheſios et Coloſſenſes) [42]) et adhibito loco I Io. 5, 19: ὁ κόσμος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. Ceterum qui ſic loquatur, non cenſendus eſt contradicere iis, quae lib. IV. p. 10 b. leguntur: non eſſe malum mundum, Dei quippe filium, ſed hominem. [43]) Nimirum ſunt illa orientali philoſophiae oppoſita: iſtic mundus biblico ſignificatu de iis adhibetur, quae ſacris oppoſita ſint.

Sed liber VII. integer ex iſto genere eſt, quod ſacris ſcriptis utatur ad peregrinam cauſam. [44]) Ipſa illuc inſcriptio pertinet: ἐν ὄρει ἀπόκρυφον, non ea ad montanum Ieſu ſermonem referenda, ſed ad metamorphoſin, cui oralis traditionis originem plerumque adiungebant in antiqua eccleſia, qui hanc tuerentur. Nimirum Ieſu loco Hermes iſtic poſitus eſt, quem, ut ſe edoceat, diſcipulus rogat, πρὸ τοῦ κόσμου ἀπαλλοτριοῦσθαι. Verum et quaeſtione et disputatione Ioanneum illud c. 3. imitatus eſt. Agit illa de eo, quid ſit, neminem σωθῆναι πρὸ τῆς παλιγγενεσίας; Nimirum natales hominis eſſe e bono, ex ipſo Deo: denuo igitur naſci ipſum ſic, ut bonus evadat atque divinus, et ἀθάνατον ſumat σῶμα. Hoc ipſum ἔλεος appellatur. Sed cum ἐλεηθεὶς ἄνθρωπος opponitur ἐνδιαθέτῳ, idea haec hominis ſine dubio dicitur, ad quam inſtauratus redeat, qui οὐσιώδης homo in Aſclepio dicitur. [45]) Exſtant hic et aliae S. S. formulae, ut θελήματος θεοῦ, λογικῆς θυσίας, ὑστερήματα ἀναπληροῦν, aliae: et ſummum tamen argumentum e gentilium ſacris.

Talia quoque affini libello continentur, VIII. (ὅτι μέγιστον κακὸν ἡ περὶ θεὸν

---

42) Neque enim hic Valentinianus habendus eſt uſus v. πλήρωμα. At obtinet is in oraculis Zoroaſtricis, p. 9. b.: (ψυχή) ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων.

43) Οὐκ ἀγαθὸς ὁ κόσμος· ὑλικὸς γάρ etc. — Οὐ κακὸς δὲ, ὡς ἀθάνατος· ὁ δὲ ἄνθρωπος καὶ ὡς κινητὸς, καὶ ὡς θνητὸς, κακός. — *Dei filium* e Platone hi libri ipſum fere mundum dicunt, praeter II., qui λόγον dicit.

44) Poteſt is noſtratibus etiam magno haberi exemplo, quid ſit, dogmatum eccleſiaſticorum ſenſum invertere philoſophandi gratia.

45) Οὐσιώδης noſtro i. q. ἄϋλος ſignificat, ab οὐσίας notione Platonica: recte monente Tiedemanno l. c. 64.

ἀγνωσία). Ut ἀγνοίας ἄκρατον ἐκπίνειν, καρδίας ὀφθαλμοί, ὁραθῆναι cupere Deum, neque adeo exaudiri et deſcribi poſſe; ſenſus prohibere, quominus qui ſpectent, videant, et quae alia ex Eſ. 6, 9. ſimilibusque locis redduntur.

At librum IX., καθολικὸν λόγον inſcriptum, a Iudaicae familiae philoſopho compoſitum opineris. Illud certe de malo ἀτεκνίας, quod p. 19 b. deſcribit, eoque refert, quod Deo patris nomen ſit, (μέγιστον, ait, ἀτύχημα καὶ ἀσέβημα ἐστὶν, ἄτεκνόν τινα ἐξ ἀνθρώπων ἀπαλλαγῆναι) Iudaico ſenſui maxime convenit. Qui proxime ſequuntur, libri Hermetici, univerſam magis Platonismi formam reddunt. In αἰῶνος notione plurimus eſt X., et ſic, ut aliquid maius intelligat, ac, quod in vitae divinae notione inſit. Proximam ibi Dei efficientiam (spiritualem, ſupernaturalem) denotat: neque alienus plane is uſus eſt a ſermone Graecorum mythico; non Gnoſticus tantum. 46) Sic πάντων οὐσία appellatur αἰών, δύναμις θεοῦ, ſapientia Dei, mundi anima; mundusque ipſe, ἔργον τοῦ αἰῶνος, etiam εἰκών. 47) Peculiare etiam huic libro, quod mundi imago in ſole, ſolis in homine eſſe dicitur. Plane ethnicum, quod negetur, Deum eſſe inadſpectum, quoniam ne ſpectetur quidem aliquid praeter Deum. Sed noſtrae tamen voces in his ſunt, quod πάντα ὁμοῦ cogitanda dicantur, ut concipiatur Deus, p. 22 b.: e Sirac. 43, 29. (τὸ πᾶν ἐστιν αὐτός) forſitan: ſicut noſtris opponitur, quod ibidem modeſtia non dicatur ſola deducere ad Deum. (Ἐὰν — ταπεινώσῃς ψυχήν — οὐκ οἶδα τίς εἰμι. οὐκ οἶδα τίς ἔσομαι; τί σοι καὶ θεῷ;) Deum, ait p. 23 a. cognoſci τῷ δύνασθαι γνῶναι, θέλειν, ἐλπίζειν, quae oppoſita facile credas triplici virtuti, quam haberent, apoſtolicae, fidei, amoris, ſpei.

At manifeſta denuo redeunt noſtrarum rerum veſtigia libro XII. et XIII. Ille de λόγῳ, creandi inſtrumento, et distributo inter homines, plurimum egit; ſed βάπτισμα etiam aliquod, πίστει adiunctum deſcribit p. 26 a.: Βάπτισον σεαυτὴν — ἡ πιστεύουσα —. Ἑαυτὸν μισεῖν, formula et ipſa ſacri ſermonis. Crateri alicui immergi iubetur anima; quae nobilis in myſteriis et apud Platonem

46) Eſt hinc augendus *de Dion. Areop.* libellus, ubi de *v.* αἰών expoſuit, p. 296. Comm. theol. (In Sanchun. fragmento vocabulum illud recte pro inverſo tantum Chavae nomine habetur.) Erravit in his locis Tiedem. 87. ſſ.

47) Sic libro XI. etiam: ζῶμεν δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ καὶ αἰῶνι — hoc poſtremo ſubliniorem vivendi facultatem, veluti particulam divinae vitae, ſignificare videtur. Alibi enim (ſicut apud Proclum) δύναμις atque ἐνέργεια ſolae commemorantur humanae naturae facultates.

mundi animae imago fuit. Huic ſe igitur et rebus ſuperioribus coniungere, dum ſuae ſibi originis conſcia ſit. Libro XIII. quae p. 36 b. leguntur, certe Ioannea ſunt: Ὁ πάντων κρατῶν, ἐκ τῆς ὑπεράνω χώρας ἐστι — Ἄνωθεν πάντα καταβέβηκε, καὶ πάλιν ἀνέρχεται ἵνα καταβῇ. (Io. 3, 13. 31.)

De fide omnino multiplex fuerat inter Platonicos ſententia. Spernebant plerique; ſed Procli ſchola fidei notione utebatur, licet ſuo ſenſu. Cum his et libri XV. auctor feciſſe cenſebitur; qui, τὸ πιστεῦσαι, ait, ἐστι νοῆσαι. Antiquis philoſophis novimus πίστιν ſemper minoris fuiſſe habitam. Libro XX. diximus iam cosmogoniae Moſaicae veſtigia deprehendi. Sed quae p. 51 a. leguntur de univerſo rerum ſpiritu: βαστάζον τὰ πάντα, κατ' ἀξίαν ζωοποιοῦν καὶ τρέφον — e S. S. locis ducta ſunt: Ebr. 1, 3, et Ioanneo illo, οὓς θέλει, ζωοποιεῖ, 5, 21.

Ceterum quod in his libris ſubinde ad γενικά quaedam provocetur, in quibus accuratius nonnulla expoſuerit; olim iam quaeſitum eſt. [48]) Imitatur ſine dubio exotericorum atque eſotericorum, ſive ſermonum ſive librorum, diſtinctionem, apud Ariſtotelem et in eius ſchola uſitatam. [49]) Sed diverſo certe ſignificatu. Philoſophicam, et Ariſtotelis quidem diſciplinam, (quam Porphyrius omnis philoſophiae iſagogen habuit) libro IV. (compendio γενικῶν) et XIV. 41. b., dicit τῶν γενικῶν nomine: ut ſublimior, myſtica opponatur. Popularem inſtitutionem alibi, VII. in.; et ſuſpicari etiam liceat, chriſtianam iſtic inſtitutionem ſignificari ea formula. Omnino autem commune hoc ſemper fuit falſariis, ut ad libros ſuorum auctorum alios provocarent, quorum etiam nomina confingerent; ut fraudem fraude exornarent.

Tales Hermetici libri exſtiterant, ad quos, atque ad reliqua falſariorum ſcripta, e Platonicorum ſchola emiſſa, reverti denuo iuberent, qui ſec. XV. et XVI. philoſophiam et theologiam inſtaurare cuperent, Ariſtotelicis illi in-

---

48) Galeus ad Iambl. de myſt. 296. Fabric. l. c. 87. Certe, quae in Hermeticis *libris* laudantur γενικά, non poſſunt (quod his viris placuit) eadem Ἑρμαϊκαῖς διατάξεσιν, aſtrologico libro, haberi. — Ἐνικά libro IV. ſine ſenſu Tiedemannus legit l. c. 112.

49) Et diverſa etiam inter ſe ſpectant, quae e γενικοῖς Hermetis apud ſeriores ſcriptores alios, ut apud Syncellum, exſtant; licet aſtrologica fere ſint: ut de Decanis (h. e. aſtris imperantibus: nomine chaldaico dictis, non conferendo cum vulgari', etiam academico quod e Romano ſermone ductum eſt; ſicut Kantius perperam contulit) de Ζωδιακοῦ ἀποκαταστάσει etc.

ſenſi. [50]) Quae licet philoſophorum cauſa agatur, facillime tamen e noſtra etiam perſona definiri poteſt: nempe et cogitandi diſciplina et argumento, longe illis praeſtitiſſe hanc, quam ſpernerent, philoſophiam Ariſtotelis, confuſamque ex illis ſtudiis plerumque exſtitiſſe et hiſtoriam et mentem: ſed placuiſſe ea ſaepius atque plurimis et facilitate et opinaria ſublimitate, poſtremo illo quoque, quem ementita eſſent, et perverſo quidem conſilio, conſensu cum re chriſtiana. Verum ut librorum talium aliquem uſum lubentes conceſſerimus, et hiſtoricum et philoſophicum: nullus amplius hac noſtra aetate et philoſophematum iſtorum et fabularum apud nos locus eſt.

---

50) Provocabant iſti tamen cum magiſtris Platonicis ad ſublimiorem aliquam Ariſtotelis doctrinam, eiusdemque apocrypha quaedam monumenta: quorum opportunitatem feciſſent Ariſtotelis loci ii, quibus Platonis eſſata, et ſuos quos libros, de philoſophia praecipue, commemorat. (Cf. *Brandis.* de perditis Ariſt. libris de ideis et de bono. 822.) In quibus praecipui exſtiterant *Ariſtotelis* XIV. *de myſtica Aegyptiorum philoſophia*, a philoſophis Arabibus primum uſurpati. Myſticam dixit, quisquis componeret: „quod vulgus iſta indignum exiſteret, neque ingenio attingeret" IV e. Scilicet inter gentiles ſola ea ſignificatio obtinuit vocis, μυστικόν, eius, quod myſteriis contineretur. Sed qui cognoſcere velit, quam rationem tenuerint iſtarum gentium homines conciliandi opiniones, et Platonis et Ariſtotelis et orientalis illius philoſophiae: vix id poſſit, quam iſto libro clarius edoceri. Ut *intellectum agentem* Ariſtotelis, Platonicorum *ideas*, orientalium λόγον, perinde habet. Sed memorandum, doctrinam de λόγῳ divino iſti auctori (10, 17. 14, 20.) pro *Babylonica* haberi. Summa doctrina ad Zoroaſtrica fere decreta ſeriora redit, eadem quae ante diximus: ut ſingulae tamen ſpirituales naturae, quae ex ſe deinceps prodeant, dicantur ſuas condidiſſe et ſphaeras et res circumiectas.